



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sacramentum confirmationis contemnens peccat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

## Confessori neces. 91

Sed si non in sacramentali confessione, sed secretum committendo dicatur alicui, Hoc tibi dico in poenitentia seu sub sigillo confessionis: non propterea obligat ibi sigillum confessionis: quoniam sigillum confessionis non potest inueniri sine sacramentali confessione: quoniam non est humanæ auctoritatis, sed solius, diuinæ institutionis vinculum sacramentale. Et scito quod huiusmodi secreta extra sacramentalem confessionem dicta sub sigillo, &c. si audiens non acceptat se recipere sub sigillo, non tenetur: si verò acceptat, tenetur ex promissione sua, iuxta aliorum iura secretorum, minus quàm si iurasset tenere secretum: quia iuramentum est maius vinculum quàm promissio assimilandi sigillum confessionis.

### *Sacramentum confirmationis contemnens peccat.*

Confirmationis sacramentum (quod Christus vocatur) negligens accipere, peccat: quia debet esse sibi sollicitus de sacramento communi omnibus Christianis ad robur fidei à Christo instituto. Non peccat tamen mortaliter, si desit contemptus: quia sacramentum hoc nec est necessitatis absolutè, nec ex exactione Ecclesiæ.

### *Coniuratio seu conspiratio vitiosa.*

Coniuratio, quæ & conspiratio dicitur (qua plures fidei sibi inuicem præstita cōueniunt ad malum aliquod patrandum, vel ad se tuendum contra publicam potestatem, vel ad non parendum in aliquo) communiter est peccatum mortale & scandalosum: quia communiter est contra bonum publicum vel alicuius privati: licet rarius hoc videatur accidere.

Con-